MASTER NEGATIVE
NO. 93-81528-19

AUTHOR:

HERTZ, MARTIN JULIUS

TITLE:

DE AMMIANI MARCELLINI STUDIIS SALLUSTIANIS...

PLACE:

BRESLAU

DATE:

1874

Master Negative #
93-81528-19

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Hertz, Martin, 1818-1895.

...Martini Hertz De Ammiani Marcellini studiis Sallustianis dissertatio. [Breslau], Friedrich, [1874]

16 p. 29 cm.

At head of title: Index scholarum in Universitate litterarum Vratislaviensi per aestatem anni MDCCCLXXIV...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8-4-93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

INDEX SCHOLARUM

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM VRATISLAVIENSI

PER AESTATEM ANNI MDCCCLXXIV

A DIE XIII. MENSIS APRILIS

HABENDARUM.

PRAEMITTITUR MARTINI HERTZ DE AMMIANI MARCELLINI STUDIIS SALLUSTIANIS DISSERTATIO.

TYPIS OFFICINAE UNIVERSITATIS (W. FRIEDRICH).

Nihil academicis litterarum antiquarum doctoribus praeter auditorum lectorum assiduitatem et diligentiam exoptatius accidere potest quam egregiorum virorum iisdem studiis operam navantium ad ipsam universitatis sedem accessus atque adventus. Id vero nobis per hos annos non sine luctu quidem et querimoniis cum propter Stievii, viri humanissimi et eruditissimi, discessum, tum propter praestantissimorum hominum, Baumgarti, Kampmanni, Schoenbornii, Wimmeri, Wissowae, obitum, sed ita tamen contigit, ut et ad universam rem huius provinciae scholasticam moderandam et ad huius urbis gymnasia regenda magistratus et regii et urbani viros de studiis antiquitatis ad unum omnes egregie meritos in hanc litterarum sedem deinceps convocarint: Guilelmum Dillenburgerum dico elegantissimum elegantissimi poetae Latini interpretem, Antonium Iosephum Reisackerum imprimis de carminis Lucretiani fundamentis, fontibus, indole cognoscendis optime meritum, Ottonem Heine, qui et eadem fere studia cum in reliquos fontes philosophiae Ciceronianae accuratius pernoscendos tum in Stoicorum doctrinam subtiliter explorandam contulit et nonnulla Ciceronis scripta a se accurate recensita, prudenter emendata, sollerter explicata edidit, Carolum Fridericum Guilelmum Müllerum, quem idem artissimae quasi familiaritatis vinculum cum poeta Sarsinate et cum oratore Arpinate non minus quam cum rhetore Cordubensi eiusque filio philosopho et cum historico Antiochensi contraxisse norunt, qui ab his studiis non alieni sunt, Iulium denique Sommerbrodt, qui nuperrime huc advenit vel potius ad hoc Silesiae natale solum rediit, et ipsum venustissimo Ciceronis de senectute libello edito in hoc latissimo studiorum communium campo egregie versatum, tum autem et gravissimi grandissimique poetae et lepidissimi facetissimique scriptoris Graeci studiis mira ingenii agilitate et dexteritate coniunctis insignem. Quos cum hoc loco una compello et saluto, collegarum humanissimorum Rossbachii, Reifferscheidii, Försteri, Blümneri sensus me exprimere aeque scio atque universae academiae, quae tam illustri consortio suum quoque splendorem augeri non ignorat. Laetissimi vero huius exordii capiendi ansam id mihi dedit, quod rectissimae unius ex hoc hominum lectissimorum quinione sententiae hanc disputationem tamquam fundamento superstructurus sum.

Nam postquam studia in Ammiano Marcellino, per extrema litterarum Romanarum saecula uno fere scriptoris historici nomine digno, olim assidue et non sine fructu posita, inde ab huius saeculi fere initio delituerunt, nuper resuscitata sunt post novam librorum eius recensionem a Francisco Eyssenhardtio ante hos tres annos propositam. Nam quamvis ille difficile hoc opus incoharit magis quam absolverit, tamen libri inprimis Vaticani lectionibus, etiamsi ne iis quidem ubique satis accurate [1]), propositis ansam quandam dedit viris doctis cum apparatus critici accuratius examinandi [2]), tum textus, quo vocabulo ipse Ammianus saepissime utitur, emendandi [3]); novam vero editionem iam nunc parare dicitur Victor Gardthausenus, qui operam assiduam Ammiano per hos annos impendit. Ex iis vero, quos supra commemoravi, Müllerus l. ad marginem inferiorem c. sat magnum numerum emendationum protulit, quae a laudato viro nuper laudatae [4]) mea laude non magis egent [5])

---

[1]) Cf. Gardthausen nunt. doct. Gott. 1871, 33, 1806 sq. Praeter eum ed. huius censuram egerunt A. Kiessling ann. phil. CIII 481 sqq.; E. Wölfflin lit. Centralbl. 1871, 1084 sq.; W. Tomascheck act. gymn. Austriac. 1872, 281 sqq.

[2]) Cf. Th. Mommsen Herm. VI 231 sqq.; VII 91 sqq.; 171 sqq.; Gardthausen ibid. VI 243 sqq.; VII 168 sqq.; 453 sqq.; ann. phil. CIII 829 sqq.; Urlichs mus. phil. XXVI 638; F. Rühl ibid. XXVIII 337 sqq. cf. etiam V. Rose anecd. Gr. et Gr. Lat. II 164; H. Sauppe nunt. d. Gott. 1872, 227 sq.

[3]) Cf. imprimis C. F. W. Müller ann. phil. CVII 341 sqq.; M. Haupt in ind. lect. Ber. aest. a. 1874, qui iam sex annis ante ipse accuratiore Vaticani codicis notitia adiutus egregium emendationum Ammianearum specimen protulerat: eo in editione sua usus est Eyssenhardtius; Kellerbaueri inventa (act. gymn. Bav. VII 11 sqq. [al. nuper IX 81 sqq.; 127 sqq.]) ad ed. demum minorem emaculandam adhibuit, quae maiorem illam mox secuta est; equidem neque ea neque Horkelii emendationes ab Eyssenhardtio neglectas inspicere potui.

[4]) v. Haupt l. l. p. 5 et passim, qui saepius cum eo se conspirare indicat; ll. ab ipso indicatis add. XIV 11, 6; XVIII 4, 11; XXIII 6, 8; XXXI 15, 11 (ibid. 12, 8 'que' delendum esse dixit M. p. 348, 1), qui ll. eum effugerunt in adnotationibus tantum non omnes non suo loco positi.

[5]) Pauca quaedam, in quibus diiudicandis a viri sagacissimi sententia discedendum esse mihi videtur, hac occasione oblata eius iudicio subiiciam. Sic libri XIV 6, 25. Hic liber Vaticanus (V) perminuas (perminnas teste Eyss.) praebere fertur, alii alia coniecerunt, Müllero scribendum esse videtur: ab ortu lucis ad vesperum sole fatiscunt vel pluviis pertinacius (sive perpensius) aurigarum equorumque praecipua vel delicta scrutantes; equidem non dubito, quin lectio olim vulgata per minutias revocanda sit, ad scripturam traditam proxime accedens et Ammianeo usu dicendi comprobata cf. XXIII 6, 74 ne igitur orae maritimae spatia adluentia Persidis extremitates per minutias demonstrantes a proposito longius aberremus, id sufficiet dici etc.; XXVIII 2, 12, quos ll. recte iam A. G. Ernesti in glossario Latinitatis Amm. s. v. minutiae ad lectionem hanc defendendam attulit. [per rimas nuper Kellerbauer.]

XIV 7, 7 in V scribitur: Serenianus . . incertum qua potuit suffragatione absolvi, aperte convictus familiarem suum . . ad templum misisse fatidicum, quaeritatum praesa, an ei firmum portenderetur imperium, ut cupiebat, et cũtum; pro vocc. aperte corruptis vg. scribitur expresse (presse Eyss.) et cunctum, Müllerus perplexe proponit et tutum; mihi utroque loco litterae nonnullae excidisse videntur sic emendaturo: quaeritatum praesagium, an ei firmum portenderetur imperium . . et secundum, in quo illud mihi certum, hoc probabile esse videtur.

XIV 11, 4 V praebet: cum haec taliaque sollicitas eius aures everberarent . . vario animo tumiscente consilia, tandem tot (id ut V; corr. Vales.) optimum factu elegit; cum codice 'regio', qui interim nationalis et imperialis, tum iterum deinceps regius et nationalis et imperialis fuit, nuper per brevissima intervalla tertium nationalis, communalis, quartum denique nationalis factus est, mox fortasse sive regii sive impe-

quam ipsius illius viri sagacissimi inventa. Ibi, ut perversam doctorum quorundam hominum de Latinitate Ammiani opinionem refelleret, quem vel elementorum, quae vocantur, grammaticalium ignarum sibi fingere videntur, recte, ut alibi etiam nuper afferendum mihi

---

rialis nomen recuperabit, nam variis, ut praecepta fere coniectura mea cum ipso hoc Ammiani loco loquar, Francogallorum animi tumescunt consiliis, — cum hoc igitur codice vg. legitur: varia (ex vario in illo libro a pr. m. corr.) animo tum miscente consilia; Müllerus tum illud merito improbans commendat lectionem varia animo comminiscente consilia; mihi tumiscente illud in V recte se habere videtur, vario vero aeque male ad insequens subst. animo adaptatum esse ac consilia ad miscente, quod seorsim codicis V quoque librarius in scriptura archetypi continua agnoscere sibi videbatur; nam cum vario animo tumiscente (s. tumescente) consilio, quod sponte quasi se offert, plus uno nomine displiceat, mihi variis animo tumescente consiliis Ammianus videtur scripsisse cf. XXIV 2, 1 locum immenso quodam vertice tumescentem; XVI 5, 17 tumescentes inedia; intumescere idem dicit XXII 15, 17 et XXIII 6, 19; colla superbarum gentium detumescent XV 8, 7.

Inter alios locos, quibus inserenda esse singula fere vocc. nunc temere omissa scite demonstrat Müllerus, XVI 7, 6 is . . etiam Iulianum aliquotiens corrigebat Asiaticis coalitum moribus, ut post litt. at excidisse censet; equidem vestigia rarioris cuiusdam usus nec ab Ammiano (v. XXV 4, 12 et 14; XXVI 9, 5) alieni, de quo nuper dixi vind. Gell. alt. p. 63 sq., hic quoque agnosco; scribendum enim erit: [ac si] Asiaticis coalitum moribus. Exemplis huius vitii a v. d. propositis XVII 12, 2 videtur addendum esse: quibus ad latrocinia magis quam [in] aperto habilibus.

XVI 12, 5 Alemannorum rex Chnodomarius civitates erutas multas vastasse dicitur et opulentas; firmas proposuit Müllerus, mihi eodem fere sensu erectas videtur scribendum esse; 'stabilis et erectus' vocc. coniunctim leguntur XV 7, 2.

XVII 10, 4 alii Alemannorum regi impositum esse dicitur, ut quotiens esset (sit V, quod quoties s. quotiens voc., cuius extremae litt. tiens sup. lin. scriptae sunt, praecedente in esset mutandum esse credo) necesse, militibus alimenta praeberet, . . securitates accipiens pro elatis: quas si non ostendisset in tempore sciret se rursus eadem fatigandum; ea de praebet V, unde ea de re effecit Gelenius, Eyssenhardtius eadem, merito improbatum a Müllero, qui proponit clade; nonne potius ea[dem cla]de erit scribendum?

XIX 5, 3 postremo obseratis portis praecantibusque tribunis egredi nequeuntes frendebant ut bestiae; praecaventibus proposuit Reinesius, vetantibus vel refragantibus Müllerus; praetulerim revocantibus.

XIX 6, 4 urbs exuta periculis mihi satis defendi videtur alio loco XXII 14, 5: abi securus ad lares exutus omni metu clementia principis; eadem fere dicendi formula, ut assolet, Ammianus utitur XXVIII 2, 9 ubi exutus vulgari quidem sensu usurpatur, sed nihilominus idem voc. in altero illo lib. XXII loco eoque etiam in lib. XIX l. a Müllero temptato tuetur: irati sententia principis sacramento exutus abiit ad lares; vulgari etiam sensu positum est XXIX 2, 5: patrimonio exutus, quod etiam ap. Suet. de ill. gramm. c. 11 legitur. (Müllerus lib. XIX l. l. scribere voluit: exemta.)

Nec magis XXI 6, 1 replicare nunc convenit tempore et summatim narrare, quae . . Constantius . . perfecit, tempori legendum esse videtur; scribendum esse et hic et l. ab ipso Müllero allato XXII 8, 35: 'super quarum origine . . tempore disseremus' errore librorum fere sollemni sublato censeo tempere, quam formam praeter alteram 'temperi' huic adverbio vindicavit Büchelerus mus. phil. XV 444. Tempere autem, quo sane opus non erat, mihi addere A. videtur, ut significet, antequam ad haec narranda accedat, aliis nimis immorari se nolle, sed iam iustum temporis momentum advenisse sibi videri ad res Constantii enarrandas.

XXVIII 4, 16 ita pauci esse inter dominos severos vindices delictorum esse dicuntur, ut, si aquam calidam tardius attulerit servus, trecentis adfligi verberibus iubeatur, si hominem sponte occiderit propria, instantibus pluribus ut damnetur † iremus dominus hactenus exclamet (sic recte Müllerus; exclamat V) 'quid faciat malitiosus (sic Valesius; ma . . . . . . mosus V maniosus Gelenius; fort. 'quid facias malitioso?', ita tamen, ut extremum voc. in l. lacunoso praestare nolim) et nequam?' et 'si quid (quis V) [aliud eius]modi deinceps ausus fuerit, corrigetur'. Hic vg. reus editur ex ci. Valesii, serenus proponit Müllerus; mihi cod.

fuit,[6]) pronuntiavit, hanc sententiam male congruere cum ea eruditionis ostentatione,[7]) quae Ammiano propria esset. Consensum autem meum supra indicatum ita intellectum velim, ut hanc ostentationem partim sane prae se ferat Ammianus cum frequentibus excursibus narrationi insertis tum veterum auctorum locis nominatim allatis, partim vero artificiose ita recondat, ut ii tantum assequi eam possint, qui eadem doctrinae copia lectionisque permultorum auctorum veterum ubertate polleant. Quorum numerum ipsius Ammiani aetate, ubi litterae elegantiores fere evanescebant, praeter eos, quibus ipse fortasse viam hanc intellectus penitiorem monstrasset, perexiguum fuisse patet; recentiores vero interpretes, Valesii, Lindenbrogius, I. Gronovius, Wagnerus, sat multa doctrinae huius reconditioris documenta abdita ex tenebris quasi in dias luminis auras produxerunt. Ea partim composui partim auxi eruditionisque huius adhibendae rationem saepe ridiculam magis et ineptam quam lepidam et festivam exposui eo loco, qui cum maxime in margine indicatus est. Cum vero nuper inter vv. dd. disceptatum esset, num ad eruditionis huius Ammianeae instrumenta Sallustii quoque historiae pertinuissent, atque id accuratiore disputatione indigere mihi videretur, hanc quaestionem seorsim me hoc loco perscrutaturum esse ibi dixi.

---

indicare videtur irenius, quae adi. forma defenditur nom. propr. *Εἰρηνία* (quod tamquam urbis condendae nomen proponitur ap. Luc. de h. conscr. c. 31) et *Εἰρήνιον* (mulieris); usitatiores sane formae *εἰρηναῖος* et *εἰρηνικός*, quorum hoc tamquam cognomen Latinum legitur CIL II 4529; IRNL 2559; aliud eiusdem et unum Irenaei cognominis exemplum affert Furlanettus in add. ad Forcell. lex. s. his vv.; homini Graeco tale quid excidisse ipsis litterarum apicibus fere significatum mihi sane non videtur esse improbabile.

Loci ceterum corruptissimi XXIX 1, 30 initium medicina vix indiget. Sermo est de mensula illa motoria, cujus memoria hoc demum saeculo iterata est: conlocabatur in medio domus emaculatae odoribus Arabicis undique, lance rotunda pure superposita ex diversis metallicis materiis fabrefacta. Ad quae Müllerus haec: 'Mit pure weiss ich nichts anzufangen, vielleicht ist es nur eine Verschreibung für super'. Mihi, ut olim Wagnero, videtur pure ad rotunda pertinere, collocatione verborum rara quidem sed non omnino inusituta, et significare plane, ut Wagnerus ait, s. absolute et perfecte rotunda, quod si totius machinae illius institutum universique huius loci habitum respicio, aptissime additum esse mihi videtur; pure autem et purus eo fere sensu usurpari docent lexica. Quod ad insequentia attinet, id tantum in memoriam amici optimi et doctissimi nuper praemature defuncti additurus sum, totum h. l. anno h. s. LVI accurate pertractatum esse a Gustavo Wolffio in libri eruditissimi de Porphyrii philos. ex orac. haurienda p. 98 sq. Is et cortinulae supersistit scripsit et inter se coniunxit, ut nunc Müllerus, et aptum, quod iam Wagnerus in adn. ad h. l. proposuerat, probavit.

Iustissimam denique Mülleri observationem, qua in V saepe litteras aliquot ex proxime sequentibus anticipatas s. ex proxime praecedentibus iteratas esse docuit, his exemplis firmare liceat: XVII 5, 3 optimatem viam te revertisse V (Eyss.), vg. recte optimam; XVII 10, 2 tagetinicis pro tageticis propter insequens uegonicis et tores nitrū pro tonitrū propter fragores; XXI 3, 4 effacitatem pro [et] efficacem ob praecedens taciturnum; XXI 10, 6 gratiae mutilandum (n sup. ras. add.) pro gratia aemulandum; ibid. 13, 13, qui locus ad rem demonstrandam praecipue mihi videtur esse idoneus, Eyssenhardtius sceleste factorum scripsit; at ibi sceleste laetorum extat in V, quod et ipsum nihil aliud significat nisi scelestorum, ut cum cod. reg. scribi recte iussit Valesius.

[6]) In comm. de Gellio et Ammiano cum maxime typothetae tradita, ut Hermae fasciculo proximo insereretur.

[7]) 'Coquetterie mit Gelehrsamkeit'.

Verba autem hac de re fecerat Gardthausenus et in coniectaneis Ammianeis Kil. 1869 p. 36 (cf. p. 7 et p. 9) et in diss. de geographicis Amm. fontibus ann. phil. suppl. VI a. 1873 p. 549 sq. Hunc iuvenem doctissimum ratiocinatio eo duxit, ut inter duas, quae per se cogitari possent, harum rationum condiciones, scilicet ut aut praeter reliquos geographicos fontes ipsis Sallustii historiis usus esset Ammianus aut ut utrisque illis communis quidam fons subesset, hoc sibi verum esse persuaderet, eumque fontem Eratosthenem esse diceret, de quo scite egerat l. c. p. 540 sqq. Adversus quem in censura act. litt. central. quae vocantur inserta (a. 1873 n. 24 p. 739) A. v. G., quem harum rerum iudicem gravissimum esse atque exercitatissimum Alfredum L. B. de Gutschmid novimus omnes, alterum illud statuendum esse censet, eatenus tamen Gardthauseni sententiae aliquid concedens, ut geographicas tantum historiarum Sallustii partes perlegerit Ammianus; adiecit vero coniecturam, quae ipsam hanc sententiam per se satis probabilem probabiliorem reddere videbatur, geographicos hos Sallustiani operis locos olim in unum corpus aeque redactos seorsimque descriptos esse atque orationes epistulasque Sallustianas hodieque sic superstites.

Mihi vero iam ea quae Gardthausenus composuit fines hos fere excedere videntur. Vel ipse locus, unde disputationem exorsus est, unus ille, quo ipse Ammianus Sallustii nominatim attulit testimonium, capiti sane ethnographico (XV 12) insertus legitur (§ 6), quod cum universa Galliae descriptione praecedente (c. 9—11) ea ratione cohaeret, quae Ammiano sollemnis est et a Gardthauseno accurate exposita; at cum Gardthausenus initium huius capitis ipsi Ammiano tribuat, paragraphum demum quintam ad geographiam illam quam vocat schematicam referat (qua de re a me nondum satis accurate perquisita iudicium ferre nolo, quamvis equidem hanc de Gallia deinceps a Fulvio Flacco, Sextio, Fabio Maximo domita narrationem potius fonti alicui proprie historico tribuerim), poterat sane de suo addere Ammianus etiam ea quae de Galliis a Caesare subactis ex Sallustio in § 6 protulit. Sed etiamsi hunc locum[8]) aliunde cum tota illa narratione praecedente sumpsit, alias ipso Sallustio eum uti potuisse non est quod negemus.

Ex reliquis autem locis, quorum tabula extat apud Gardthausenum, nonnulli vestigia tantum Sallustianae originis praebent satis tenuia, unus alterve me quidem iudice nullum: sic ea quae de motibus terrarum dicit Ammianus XVII 7, 11 'unde plerumque observatur terra tremente ventorum apud nos spiramina nulla sentiri, quod in ultimis eius secessibus occupantur',[9]) nullo omnino vinculo conexa sunt cum Sallustianis his quae comparari iubet

---

[8]) Hist. fr. I 8 D. Cuius loci fontibus reliquis examinatis mihi Gelenii et Gardthauseni (coni. p. 9. font. geogr. p. 549) conatibus fere coniunctis sic fere ap. Amm. videtur legendum esse: Nam omnes Galliae nisi qua paludibus inviae fuere [ut] Sallustio docetur auctore post decennalis belli mutuas clades sub [egit Caesar Sulpicio Marcelloque coss.] societatique nostrae foederibus iunxit aeternis; qua de re tamen tum demum rectum iudicium proferre licebit cum exploratum fuerit, num cod. Vaticani lacunae numero litterarum omissarum nunc significato satis accurate respondeant; nam si hoc ita est, lacuna, quae quattuordecim quindecimve litterarum spatium explere traditur, haec omnia hausta esse nequeunt.

[9]) Haec enim huius paragraphi verba extrema sola in censum venire possunt.

Gardthausenus (II 43 D.): 'venti per cava terrae citati, rupti aliquot montes tumulique sedere', quae sane exemplum fere unum afferunt ventorum, ut cum Ammiano loquar, in ultimis terrae secessibus occupatorum, eius autem, de qua Ammianus loquitur, observationis vestigium omnino praebent nullum.

Praeter haec duo autem exempla Gardthausenus affert haec, quorum extremum altero demum loco addidit:

Sall. h. II 21 D. = XV 10, 10 (de Saguntinis)
II 39 coll. XXII 16, 24 (ob Apionem utrubique nominatum)
III 29 = XXIII 6, 56 (de Cyzici oppugnatione)
III 44 = XXII 8, 10 (Ponti cum arcu Scythico comparatio)
III 45 = XXII 8, 46 (de dulcedine aquae Ponti)
III 48 = XXII 8, 20 (ob Criumetopon)
III 49 = XXII 8, 27 (ob Tanain)
III 51 = XXII 8, 42 (nomadum descriptio)
III 52 = XXII 8, 25; 33 (propter Achaeos)
IV 54 = XXIII 6, 16; 27 sq. (propter naphtha)
V 1 = XXIII 6, 6 (de Arsacidis)
inc. 122 coll. XV 10, 9 (ob nomen Geryonis).

Horum quoque aliquam partem non ex locis geographicis, ad quos omnia ea refert Gardthausenus, sed ex continua potius Sallustii narratione depromptam esse censuerim. Illis certe ea tribuenda sunt quae ad Ammiani descriptionem Ponti (XXII 8) pertinent, quamvis praestare nolim omnia, quae G. affert, ex ipso Sallustio aut ab Ammiano aut ab intermedio quodam auctore desumpta esse, veluti cum id tantum ex Sallustianis de Criumetopo promontorio afferatur, proxima ibi dicta esse hoc et Paphlagonum promontorium, quod Carambis vocatur, ipsa mensura huius intervalli, duo sc. milia et quingenta stadia, praeter alios (cf. Kritz ad h. l. III 45 ed. suae p. 229) inveniatur apud Ammianum; idem arcus Scythici imaginem ab aliis etiam ei non ignotis mutuari poterat (cf. modo quos affert Kritzius ad hoc fragm. III 49 p. 231).[10] At sane non deest inter haec certum aliquod originis Sallustianae documentum; nam quae Ammianus dicit cap. huius § 46, Pontum esse 'dulciorem aequorum ceteris' ea ex ipsis Sallustii verbis illis notissimis: 'mare Ponticum dulcius quam cetera' patet esse derivata, atque id ipsum demonstrat, Ammianum per hunc locum etiam Sallustio usum esse,[11]) sicuti etiam nunc, quamquam fragmenta tantum historiarum supersunt, nonnulla attulit G. utrique communia, ita sane ut, etiamsi in universum concedatur, de singularum tamen harum laciniarum origine certum ubique iudicium ferri nequeat, id quod singulorum locorum accurata inter se comparatione facile perspicitur.

[10]) 'Geographiae totius adsensione' ipse Ammianus dicit l. supra c.

[11]) Nimias ei partes Kritzius tribuere videtur ad Sall. h. III 43 p. 228. Idem vero merito in adn. ad fr. inc. 20 p. 375 'qui Sallustium interdum imitatur Ammian. Marcell.'.

Ii vero qui obiter inspicienti certissime assignandi esse videntur geographicis, de naphtha loci Ammianei, ad continuae aliquem Sallustianae narrationis locum probabiliter a Dietschio relati sunt; idemque iudicium de iis tulerim, quae de camelis (III 29 D.) et de Saguntinis l. l. proferuntur. Nam ea, quae de camelis inter Cyzici oppugnationem primum a Romanis visis narrat Ammianus XXIII 6, 56, ipse quidem, ut reliqua, in excursu geographico proposuit, inter ipsam vero expeditionis illius Mithridateae, de qua loquitur Plutarchus in Lucull. c. 11, narrationem Sallustius (v. Kritz ad fr. III 30 p. 219 et Dietsch); Saguntinorum sane commemorationi tam prope praecedit Geryones ap. Amm., ut quamquam aliunde quoque facile memorare eum poterat, hoc tamen ad Sallustium referendum esse videatur; quod si vero ille in excursu aliquo ibi commemorabatur, haec verba: 'Saguntini, fide atque aerumnis incluti prae mortalibus, studio maiore quam opibus, quippe etiamtum semiruta moenia, domus intectae parietesque templorum ambusti manus Punicas ostentabant...', certe ut et Kritzius (II 27 p. 138) et Dietschius intellexere, ad ipsam rerum gestarum ap. Sall. enarrationem pertinebant; hic vero iterum vel accuratius verba nonnulla Sallustiana cum Ammianeis conspirant; Amm. vero certe ex h. l. nihil nisi ipsa haec verba desumpsit: 'Saguntinis memorabilibus aerumnis et fide', reliqua ex fonte hausit adhuc ignoto; nam h. etiam l. non cogitarim de Gardthauseni geographia schematica, sed de fonte aliquo proprie historico; eum autem aut Coelium aut Bruti epitomen Coelianam fuisse nec mihi probavit Wölfflinus, cuius acumen alias suspicere soleo (Antiochus v. Syr. etc. p. 50 sqq.), nec censori suo, viro et iustissimo et intellegentissimo, quem iam antea honoris causa nominavi, A. v. G., act. litt. centr. a. 1872 p. 1134.[12])

Reliqua perminuta fere atque incerta,[13]) quae attulit Gardthausenus, omittimus, id constituisse contenti, omnes fere locos Sallustianos a G. compositos ad geographicos quidem Ammiani excursus pertinere, sed partim tantum ex Sallustii geographicis esse desumptos; tum autem Ammianum bis ipsa quaedam Sallustii verba paululum inflexa suis inserere; atque horum quidem locorum alterum propter ipsum argumentum continuae enarrationi inseruit Ammianus, alterum autem inter materiam alienam ad exornandam orationem et doctrinam significandam more suo adhibuit.

Historiarum vero Sallustianarum fragmentis cum Ammianeis accuratius comparatis mox perspiciemus, Gardthausenum fragmentis sive geographicis ipsis sive cum his proxime cognatis unice intentum atque argumentorum tantum sive eorundem sive similium inveniendorum curiosum, alia quaedam vestigia certissima historiarum Sallustianarum ab ipso

[12]) Cf. etiam Gardthausen geogr. Quellen p. 553 sqq. et A. v. G. in censura huius opusculi supra l. p. 738.

[13]) Nam nec Apionis mentio certum fontis indicium continet nec quae Amm. XXIII 6, 6 dicit de Arsacidis cum Sall. hist. V 1 fr. cohaerere videntur, cui aliam omnino inesse relationem Kritzius (l. l. p. 358 sq.) eumque secutus Dietschius valde probabile reddiderunt.

Ammiano lectarum et ad opus suum ornandum adhibitarum neglexisse eoque et ipsum errasse et vel Gutschmidium, hominem et diligentissimum et subtilissimum, in huius erroris consortium aliquatenus certe induxisse.

Singula sane verba, quae ex Sallustii historiis in usum suum excerpserit Ammianus, pro certo indicare nequeo: at mihi, postea certis documentis prolatis evicturo, ipsa hac oratione Ammianum usum esse, dubium fere non est, quin duobus aliis locis, quorum alter (XXVI 7, 8) illi, quem cum maxime significavi, est vicinus, alter (XXV 7, 12) non longe ab eo remotus, voc. 'turbamentum' ex Sall. or. Lepidi ad p. R. habita (hist. I 41, 25 D.) hauserit, quamquam idem voc. etiam ap. Tac. hist. I 23 invenire poterat.[14]) Sic etiam voc. 'vitabundus' a Sallustio mutuatum esse Ammianum XXX 1, 13 demonstrari sane nequit, quod praeterea et a Livio usurpatur XXV 13, 4 cum acc. coniunctum ut a Sall. hist. III 19 D., et absolute, ut ap. Amm. etiam ap. Tac. hist. III 37 cum Sall. et in Iug. 38, 1; 101, 9 et in historiarum aliquo fragmento ap. Diom. I p. 397 P. 403, 5 K. 'vitabundus per loca saltuosa recedebat,' quod vg. non recte ad priorem locorum illorum Iugurthinorum ('ipse quasi vitabundus per loca saltuosa et tramites excercitum ductare') referri mihi videtur. Cum vero demonstraturus sim paragrapho Ammianeae praecedenti inesse ἀποσπασμάτιον Sallustianum ex historiis petitum, equidem non tantum hoc voc. eodem refero, sed totius illius loci[15]) color mihi Sallustium videtur sapere, ut ex deperdita historiarum aliqua parte desumptum eum esse censeam.

Haec cum coniici tantum possint, nonnullas certe verborum iuncturas et locutiones — nam hoc verbo cum Gellio I 7, 18 uti licebit -- ex hoc etiam Sallustii opere praeter exempla allata excerptas esse ab Ammiano pro certo equidem habeo; de aliis itidem in coniectura magis paulove minus probabili subsistendum erit. Quae omnia secundum librorum Ammianeorum seriem coniunctim proponam, de singulorum ratione plus minusve certa, ne multus sim, lectoribus iudicium ubivis fere per se satis manifestum relinquens:

Amm. XV 4, 11 corpora nudantes intecta cf. XIX 11, 15 lateraque nudantes intecta etc.	Sall. inc. 59 D. in nuda intecta corpora cf. Apul. met. X 31 nudum et intectum corpus.
Amm. XVI 2, 10 iuvante locorum gnaritate; XXVII 10, 9 = XXX 1, 12 locorum gnaritate confisi.	Sall. h. III 68 D. fiducia gnaritatis locorum.

[14]) Idem in libris mell. Quintil. X 1, 7 legitur (turbamentum modo, ubi turbam tantummodo Halmius; turbam etiam tantum ς vg.)

[15]) Viator quidam ad citeriora festinans cum clivum armato milite videret oppletum, per posterulam tramitem medium squalentem frutectis et sentibus vitabundus excedens etc. Ad Iugurthae illum locum haec iam rettulit Valesius.

Amm. XVI 11, 9 virile et muliebre secus = XXVII 10, 2; XXIX 6, 8 ('plebs omnis utriusque sexus' idem contra XXIV, 2, 21).	Sall. h. II 23 D. virile et muliebre secus (Pl. rud. I 2, 19 = Sempr. As. ap. Gell. II 13, 5; Varro ap. eund. III 10, 7 virile secus; Sisenna fr. 80 P. ex Non. = Tac. ann. IV 62; hist. V 13 virile ac muliebre secus; cf. I. Fr. Gronovii ad Liv. XXVI 47, 1 adn.)
Amm. XVII 9, 4 fame ignavissimo mortis genere; XXV 7, 4 fame ignavissimo genere mortis (cf. XIX 10, 1 famem ultimum malorum omnium).	Sall. II. h. 96 D. fame miserrima omnium morte cf. Hom. Od. XII 341 sq.; Thuc. III 59 τῷ αἰσχίστῳ ὀλέθρῳ λίμῳ τελευτῆσαι (a Valesio ad A. XXI 16, 12 l.) quosque l. Lindenbr. ad lib. XXV l. l.
Amm. XVII 13, 28 vere adulto; XIX 11, 2 adulto vere (aestate iam adulta Tac. ann. II 23; autumno adulto ibid. XI 31); autumno praecipiti A. XIX 9, 1; XXX 5, 14.	Sall. h. inc. 112 D. (Serv. ad G. I 43: .. ut primo mense veris novum dicatur ver,[16]) secundo adultum, tertio praeceps; sicut etiam Sallustius dicit ubique nova aestas, adulta, praeceps; sic autumnus n. a. p., item hiems n. a. p. vel extrema.)
Amm. XXIII 6, 65 dispar est tractuum diversorum ingenium.	Sall. h. III 18 D. ingenio loci (= Tac. hist. I 51) cf. Sall. h. I 61; Verg. G. II 177; Tac. ann. VI 41 locorumque ingenio; hist. II 4; V, 14; alios.
Amm. XXIII 6, 79 nec stando mingens nec ad requisita naturae secedens facile visitur Persa.	Sall. h. fr. inc. 54 D. [profectus quidam Ligus (ex Sall. Iug. 93 add. Pomp. l. infra l.)] ad requisita naturae (Spart. Carac. 6 cum ad requisita naturae discessisset).
Amm. XXIX 2, 21 cervicibus Asiae totius insedit.	Sall. h. II 96 (ep. Pompeii) hostesque in cervicibus iam Italiae agentes.
Amm. XXX 4, 4 absolutis super eius indignitate paucis cf. XVII 7, 1 cuius ruinarum eventum vere breviterque absolvam; XXIII 6, 10 locorum situm carptim breviterque absolvam.	Sall. h. I 2 D. (Cato) paucis absolvit cf. Iug. 17, 2 res postulare videtur Africae situm paucis exponere . . cetera quam brevissime potero absolvam; Cat. 4, 3 de coniuratione Catilinae quam brevissime potero paucis absolvam; 38, 3 uti paucis verum absolvam.

[16]) Hoc, si omnino apud Amm. legitur, equidem non enotavi tamquam usu receptum cf. modo 'vere novo' Verg. l. l. quosque ibi adscripserunt O. et W. Ribbeckii Calp. ecl. V 16; Avien. descr. 706; anth. L. I 13, 2 R.; Colum. XI 2, 2; 'ver novum' Perv. Ven. v. 2 ('ver pubescens' adnotavi ex Amm. XXVII 5, 2; XXX 5, 1).

Qui loci cum mihi fere omnes cognationis aliquo vinculo cum Sallustianis iuxta positis coniuncti esse videantur, paucos sane ita comparatos esse fatendum est, ut ipsum Sallustium ab Ammiano in usum suum excerptum esse inde concludere non liceat tantum; sed, quod solum firmum iudicii fundamentum esse potest, oporteat, quamquam, ut quae certissima esse videantur, sola afferam gnaritatem certe locorum et autumnum praecipitem, si veterum testimonia comparamus, aliunde hausisse Ammianus vix putandus erit. Omnino autem, ne incertiora congererem, omisi structurae alicuius a Gellio Noct. Atticar. IX 12, 14 ex Sallustii historiarum lib. I enotatae exemplum Ammianeum (XXX 2, 8), cum is potius Gellii observationem secutus esse mihi videatur quam ipsum Sallustium; id quod aeque in alterum locum Gellianum IX 14, 26 cadit, ubi locus aliquis ex Sallustii Iugurtha petitus[17]) propter genetivi 'die' formam affertur ab Ammiano bis (XX 7, 5; XXIV 2, 11) secundum cod. Vat. testimonium usurpatam; cum A. XIV 5, 8 (unde ei Catenae inditum est cognomentum) et XV 5, 4 (cui cognomentum erat inditum Mattyocopae v. etiam XXIII 6, 2) comparari sane poterat Sallustius (h. IV 35 D. cui cognomentum Clodiano fuit); sed Gellius qui h. quoque l. servavit (XVIII 4, 4) ipsissima illa locutione usus est I 23, 13 puero . . cognomentum . . inditum Praetextatus cf. XVIII 7, 1 ubi dativum et ipse adhibuit formula paulum immutata (cui cognomentum Insano factum est); IV 3, 2 ad Sallustium propius accedens idem: cui cognomentum Ruga fuit.[18]) De illis vero locis tantum non omnibus magis fere propitium iudicium ferent lectores, si alios nonnullos invenerint ita certe comparatos, ut omnis dubitatio excludatur. Tales vero inveni duos hos:

Amm. XXIV 2, 10 tum defensores . . validissime resistebant ferrea nimirum facie[19]) omni, quia lamminae singulis membrorum lineamentis cohaerenter aptatae fido operimento totam hominis speciem contegebant; ibid. 4, 14[20]) hostem undique lamminis ferreis in modum tenuis plumae consaeptum; ibid. 6, 8 . . Persae obiecerunt instructas cataphractorum turmas sic confertas, ut lamminis coaptati corporum flexus splendore praestringerent occursantes obtutus, operimentis scorteis equorum multitudine omni defensa.	Sall. h. IV 57 D. qui praegrediebantur equites cataphracti ferrea omni specie (58 et sequebantur equites cataphracti); 59 equis paria operimenta erant quae lintea ferreis lamminis in modum plumae adnexuerant.
Amm. XXVI 6, 16 Ad hoc igitur dehonestamentum honorum omnium ludibriose sublatus et ancillari adulatione[21]) beneficii adlocutus auctores.[22])	Sall. h. I 41, 21 D. (or. Lepidi) Fufidius ancilla turpis, honorum omnium dehonestamentum.

[17]) 97, 3. Hunc certe locum a Gellio allatum Ammiano obversatum esse docet ipsa utriusque scriptoris locorum comparatio (cf. comm. meam supra l.); eadem genetivi forma ap. Sall. etiam Iug. 52, 3 in libris optimis, 21, 2 in nonnullis legitur. Et illius quidem formulam 'et iam diei' — nam sic ibi legitur — 'vesper erat' in usum suum vertit Dictys III 8 et 19 p. 57, 3; 63, 24 Mr.; 'diei' formam in loco simillimo Iug. 106, 2 'et diei vesper erat' etiam omnes libri Sallustiani praebent; at ibi quoque l. illo coll. 'die' cum Cortio scripserim.

[18]) Omisi etiam Amm. XIV 2, 7 pecudum ritu inertium obtruncabantur: Sall. h. II 52 D. ceteri vicem pecorum trucidabantur coll. Cat. 58, 21 neu capti potius sicuti pecora trucidemini. Nam haec dicendi formula sane primum apud Sallustium litteris consignata invenitur, sed tam vulgaris sive iam tum erat sive postea facta est, ut ex linguae communis usu Ammianus eam hausisse censendus sit cf. Liv. XXV 16, 9 utrum praebentes corpora pecorum modo inulti trucidentur; XXVIII 16, 6 inde non pugna, sed trucidatio velut pecorum fieri; XXXVII 39, 4; Vell. II 119, 2 excercitus . . ab eo hoste ad internecionem trucidatus est, quem . . more pecorum trucidaverant.

[19]) 'Est autem Sallustiana imitatio, cuius hoc fragm. ap. Non. exstat: equites cataphracti ferrea omni specie.' Lindenbrog.

Hoc loco conspicitur quaedam Ammiani proprietas alibi a me enotata; ex loco aliquo a se in usum vocato unum aliquod verbum solet segregare atque sive id ipsum sive alterum voc. ei cognatum tamquam certissimum mutuationis indicium iuxta ponere, ut h. l. 'ancillari' illud ex Sallustiano 'ancilla' ductum est. Huius vero loci alterum imitamentum, a Wagnero ad h. l. indicatum, invenimus in Trebellii Pollionis vit. Claud. c. 5: 'Gallus Antipater, ancilla honorum et historicorum dehonestamentum', id quod, ut rectissima observatione mihi per epistulam significavit Gutschmidius, probat, Sallustianum hoc dictum illis temporibus pervagatum fuisse.[23]) Similiter etiam illud 'ad requisita naturae' proficisci (s. 'secedere' s. 'discedere'), quod proprie Sallustianum esse et Quintilianus indicat VIII 6, 59 et Pomp. in Don. p. 293 Kl., et apud alium ex scriptorum hist. Aug. numero et apud Ammianum inveniri vidimus.

Iam igitur his locis certissime demonstratur Ammianum nec Sallustii historiarum tantum excerptis ab alio quodam auctore in opus quoddam geographicum illatis nec geographicorum apud Sallustium corpore aliquo usum esse, sed ipsis Sallustii historiis. Id vero per se certum eo quoque confirmatur, quod eadem fere aetate idem opus non tantum ab Ausonio[24]) lectum, sed ab aliis quoque historiarum scriptoribus orationis exor-

[20]) Ibidem § 8 'equites cataphracti' commemorati erant; similiter XXV 6, 2; XXVIII 5, 6; 'cataphracti' om. voc. equites nominantur XXIX 1, 1; imprimis vero de cataphractis equitibus cf. XVI 10, 8, ex cuius loci particulis quibusdam fragmenta illa Sallustiana suppleri posse arbitror: '. . sparsique cataphracti equites, quos clibanarios dictitant, personas thoracum muniti tegminibus et limbis ferreis cincti, ut Praxitelis manu polita crederes simulacra, non viros; quos lamminarum circuli tenues apti corporis flexibus (cf. XXIV 6, 8) ambiebant per omnia membra deducti, ut quocumque artus necessitas commovisset, vestitus congrueret iunctura cohaerenter aptata'; 'species ferrea' invenitur XXIX 3, 4.

[21]) 'Ancillari adulatione posthabita' XVI 2, 2.

[22]) Nimis timide Wagnerus h. l. 'adumbratum fortasse' ex Sall. dicit.

[23]) Hoc vero ex oratione aliqua petitum fulcire viri sagacissimi sententiam supra allatam videretur, ni alia extarent documenta ei contraria.

[24]) V. idyll. IV 61 sqq.

nandae causa excerptum est, auctorem Iosephi, ut satis barbare loquar, latinizati[25]) dico et Sulpicium Severum; de illo cf. Iul. Caesarem in app. ad 'Hegesippum' illum a C. F. Webero editum p. XIII n. 12, de hoc Iac. Bernays in comm. de Serv. Sulp. chron. adn. 50 ac passim ll. ibidem ab eo allatis.[26]) Quod vero hic ibi dicit, huius usus exempla multo frequentiora fore, si historiae totae ad nos pervenissent, hoc etiam ad Ammianum spectare patet, quamvis fatendum sit, etiam Iugurthae hodie superstitis non multos locos ab eo excerptos et in usum vocatos videri. Quamvis certum iudicium ea de re tum tantum ferri poterit, si quis data opera in eam rem inquisiverit, quam equidem non nisi in transcursu attigi. Ex iis vero quae huc pertinere videri possunt unum locum (97, 3) iam Gellio intermedio ab Ammiano usurpatum videri supra dixi; item dubitari potest, uter, Sall. Iug. 48, 4; 53, 1 an Gellius XIX 12, 7, auctor sit Ammianeorum XVIII 6, 16 locum vineis arbustisque pomiferis consitum; XXIV 3, 12 agri . . consiti vineis varioque pomorum genere (add. XXXI 10, 9), si modo haec ad auctorem aliquem referenda sunt (cf. comm. meam supra l.); nec praestare ausim cum XXVII 6, 9 scriberet Ammianus 'salutem pro periculorum sociis obiectabit' eum Sall. Iug. 7, 1 (statuit eum obiectare periculis) vel Verg. Aen. II 751 (caput obiectare periclis) memorem fuisse. 'Agitare' porro voc. XVII 12, 21 (Quadorum reliquias circa illos agitantium tractus) et XXII 8, 26 (quorum post terga Cimmerii agitant incolae Bospori) ea ratione usurpavit, qua usurpatum a Sallustio legerat Iug. 18, 9 (hi propius mare agitant); idem vero legerat ap. Tac. ann. I 50; IV 46; XI 21. 'Navis praedatoria' porro Plautus dixerat Men. II 2, 69; II 3, 87; 'cum praedatoria manu' Sall. Iug. 20, 7; illud Livius adhibuit XXXIV 36, 3 ('praedatoriae classes' id. XXIX 28, 5), hoc Tac. ann. IV 24 (num. pl.); Amm. adiectivo hoc satis saepe utitur; 'praedatoriae manus' apud eum quoque leguntur XXI 3, 1, tum 'praedatoriae turmae' XXXI 5, 8 et ipso adiectivo ex coni. satis probabili addito 'discursiones pr.' XV 4, 11; frequentissime vero 'praedatorii globi' inveniuntur (XIV 6, 16; XV 13, 4; XXVI 4, 5; XXVII 5, 4; XXXI 10, 4): num hic vestigia Sallustiana, ut ita dicam, directa agnoscenda sint aeque incertum est ac si 'fortia facta' (Amm. XV 5, 33; XXV 7, 1) ad eundem referas (Iug. 53, 8; 85, 4 et 21; Cat 59, 6); nam non tantum 'forte factum' ap. Cic. ad Att. VIII 14, 2 legerat Ammianus, sed 'fortia patrum' ex Vergilio Aen. I 641 (cf. etiam X 369) in vulgus certe nota erant et per alios quoque scriptores pervagata sunt. 'Advecticius' contra voc. in uno Sallustii loco Iug. 44,

[25]) Utitur hoc voc. Caelius Aurelianus l. in lexicis s. v. indicato; alio loco ab eodem 'latinare' scribi eadem adnotant. Quod si id quoque in 'latinizare' mutandum esse coniecit lexicographus eruditissimus K. E. Georges, iam obstat — quod tum scire non poterat — ep. Vindiciani ad Pentad. a Rud. Peipero nuper edita philol. XXXIII 562, ubi alterum eiusdem formae exemplum legitur.

[26]) Mirum in modum Sall. Cat. et Iug. ad opus exornandum Dictys quoque personatus usus est cf. Meisteri in praef. ed. suae p. VIII sqq. disputationem. De historiis omnino tacet vir eruditissimus, sed earum quoque vestigia nonnulla ab eo ibi inventa esse scio.

5 legitur praeter Ammianum, qui et ipse semel eo usus est XIV 8, 8.[27]) 'Tumulosus' quoque voc. in uno Iugurthae loco (91, 3 pervenit in locum tumulosum) legitur praeter Amm. XXI 10, 3; XXXI 7, 10; atque hoc loco idem quoque substantivum cum vocabulo illo coniunxit Ammianus ('tumulosos locos' ibi legitur, 'tumulosis collibus' altero). Alias autem verborum coniunctiones, locutiones, sententias ex Iugurtha petitas Ammianus partim certissime accepit partim accipere potuit has:

Amm. XVI 6, 3 tamquam per satiram subito cubiculariis suffragantibus[28]).	Iug. 29, 5 quasi per saturam sententiis exquisitis.
XX 11, 22 unde fortunas suas sitas in extremo iam cogitantes.	23, 2 Adherbal ubi intellegit omnis suas fortunas in extremo sitas.
XXIV 2, 22 cum itaque noctis plurimum processit . . invaduntur.	21, 2 sed ubi plerumque noctis processit . . invadunt cf. 109, 4; 51, 2.
XXIV 4, 10 spe patrandi incepti.	75, 2 spe patrandi belli (cf. 88, 4; 21, 2); 70, 5 cupidus incepta patrandi cf. Cat. 56, 4.
XXIV 4, 24 obsidionalibus coronis[29]) donati et pro contione laudati veterum more.	8, 2 donatum atque laudatum pro contione magnifice Iugurtham.
XXVI 2, 8 sed studendum est concordiae viribus totis, per quam minimae quoque res convalescunt.	10, 2 nam concordia parvae res crescunt.[30])
XXVIII 6, 24 in urbem Romam abierat profugus.	35, 1 profugus ex patria abierat.

Num quae de vita nomadum Gaetulorum et Libyum Iug. c. 18, 1 sq. enarravit Sallustius Ammiano obversata sint Saracenorum mores similiter describenti XIV 4, 4 diiudicare non ausim;[31]) at ipsa ratio, qua Ammianus argumentum totius historiae distribuit, praesertim ea, qua in excursibus inserendis et finiendis utitur, Sallustium sapit, quod et ipsum magis certe perspici posset, si historiae Sallustianae nobis servatae essent.

[27]) Ap. eund. XIV 2, 4 et XV 11, 4, ubi idem voc. a nonnullis commendatur, cum V 'adventicius aeque legendum est ac lib. XXIII 2, 1 et 6, 68 et XXIV 7, 8.

[28]) Cf. Vales. et Lindenbr. adnott.

[29]) Ex Gell. V 6 hoc additum est, si recte hac de re iudicavi in comm. l.

[30]) L. notissimum iam Lindenbrogius attulit in adn. ad h. Amm. l.

[31]) Longius ab illis absunt, quod ad formam orationis attinet, quae de Hunnis et Alanis proferuntur lib. XXXI c. 2; cf. etiam hos locos cum hist. fr. III 51 D., cuius argumentum etiam cum Amm. XXII 8, 42 comparari potest, orationis colore diverso. Ad ipsas historias fortasse spectat Ammiani XVI 7, 9 sq. de Menophilo Mithridatis eunucho narratio, quod Gardthausenus coniecit coni. Amm. p. 36; Sisennianae vero lectionis vestigiorum, quae ille invenisse sibi visus est l. l., alterum certe nullum est (Amm. XXII 9, 5: Sis. fr. 133 P.), alterum perincertum (Amm. XXXI 2, 18: Sis. fr. 61).

Catilinam vero Sallustii, cuius et Iugurtha et historiis usus est, non legisse vel certe non excerpsisse videtur Ammianus. Nam id talibus probari nequit qualia sunt ea, quae supra in adn. 18 attulimus ex Cat. c. 58 § 21 et quae ad Amm. XXX 4, 4 p. 11 adscripsimus; nec eo, quod in eadem illa Catilinae c. 58 sententia legitur 'cruentam atque luctuosam victoriam,' Amm. XVII 5, 7 de parte imperii exigua semper 'luctifica et cruenta' loquitur, quae tum demum in censum venirent, si alia eaque certiora lectionis Ammianeae vestigia afferri possent. Sed id quoque accuratiore disquisitione indigere non ignoro quam ego praestare nec volui nec temporis angustiis pressus potui, cui tota haec scriptiuncula subsicivo studio orta est, hanc studiorum Ammianeorum partem universe significasse atque adumbrasse contentus. Id quod potissimum mihi propositum erat, ut Sallustii historias plenas ab Ammiano lectas et usurpatas esse probarem, id documentis sufficientibus demonstrasse mihi videor, nec de Iugurtha poterit dubitari. 'Scribant reliqua potiores aetate doctrinaque florentes', ut cum ipso Ammiano (XXXI 16, 9) finem disserendi faciam.

Scr. Vratislaviae m. Ian. a. MDCCCLXXIV.